



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quis dispensare possit cum illegitimis, & qualis interpretatio facienda sit in ejusmodi dispensationibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Quis dispensare possit cum illegitimis, & qualis interpretatio facienda sit in eiusmodi dispensationibus?

Respond. primò ad majores ordines, Dignitates, Personatus, & beneficia curata, Episcopus dispensare non potest cum filiis Presbyterorum, & aliis illegitimè natis (secularibus scilicet, de quibus dubitari potest) sed solus Papa, prout habetur in *c. nimis 18. h. e.* Potest tamen Episcopus cum his dispensare ad ordines minores, & beneficia non curata, prout à contratio sensu *ex relat. c. colligitur & expressius habetur in c. 1. h. e. in 6.* & quamvis ex stylo Curie Romanæ, qui observari debet, ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, licet simplicia beneficia sint, dispensare non possit, cum illegitimè natis Episcopus, cum ipse etiam Papa, ad obtinenda quæcunque beneficia dispensans illegitimè natum, Canonicatus tamen talium Ecclesiarum exceptos velit, ob excellentiam scilicet & dignitatem talis Ecclesie, spectato tamen jure communi antiquo, quod absolute potestatem dispensandi cum illegitimis ad simplicia beneficia concedit Episcopo, & seclusa consuetudine Curie, probabilis est, quod etiam ad hos Canonicatus, cum illegitimè natis, dispensare possit Episcopus, si tamen ad ordines sacros, quos vi Tridentini quilibet hodie Canonicus habere deberet, ubi quoad hoc Trident. receptum est, à Pontifice dispensatus fuit. Certius est, quod ad Canonicatus Ecclesiarum Collegatarum dispensare non

possit Episcopus, si cum consensu Episcopi, aut confirmatione Apostolica statutum ab Ecclesie illius Capitulo factum fuit, de illegitimè nato in fratrem non recipiendo, non quidem vi juris communis, sed vi talis statuti: neque dispensare possit, ut plura beneficia simplicia simul retinere possit, cum facultas Episcopi tantum se extendat ad unum beneficium obtinendum, si illud sufficiat ad honestè sustentandum beneficiatum, uti colligitur ex citato *c. 1. §. ille verò junct. glossa V. per sedem*, & ex mox dicendis magis patebit.

Resp. secundò dispensatio etiam Papalis, super defectum natalium, strictè explicanda est, ita ut ad ea, quæ expressa non sunt, sive ultra ea, quæ verba strictè & propriè accepta significant, extendenda non sit, quia dispensatio cum sit relaxatio juris communis, tanquam odiosa strictæ interpretationis est: & hinc quia nomine ordinum simpliciter positum intelliguntur minores tantum, non potest vi dispensationis illius, illegitimè natus, ad ordines suscipiendos dispensatus, ordines majores suscipere; & dispensatus ad beneficia, quæcunque indeterminatè, non est dispensatus ad Dignitates, Personatus, beneficia curata, Pensiones &c. cum hæc omnia sub stricta beneficiorum acceptione in materia restringenda non veniant, & juxta stylum Curie specialiter sint exprimentanda: dispensatus verò ad ordines sacros suscipiendos, dispensatus etiam est ad beneficium simplex acquirendum, cum ordines sacri sine beneficio, de jure communi & ordinatio conferri non soleant.

§. III. An